



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii  
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali  
Benedictina Universitate Salisburgensi**

**König, Robert**

**Salisburgi, 1725**

**VD18 80460518**

25. De Officio Primicerii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61781](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61781)

tra Episcopi decretum aliquid ordinare præsumat, videtur eò ipsò concessum, quòd secundum decreta, & statuta Episcopi causas decidere valeat. Nequaquam tamen existimes, eidem competere potestatem excommunicandi delinquentes inconsulto Episcopo: quia nec Archidiacono (qui Jurisdictione major est Archi Presbytero. *c. 1. h. t.*) hæc potestas de jure concessa est. *c. 5. de Officio Archidiaconi.* eò quòd excommunicatio sit maxima pœna in Ecclesia, & magni præjudicii. Equidem in *c. 3. de Officio ordinarii.* dicitur, Plebanum (quo nomine etiam Archi-Presbyter venire solet) posse sententiam excommunicationis ferre in Clericos, vel laicos paræcios suos; sed rectè Glossa respondet textum illum loqui de tali casu, quo ex consuetudine, privilegio, vel alio jure, aut concessione speciali Plebano, seu Archi-Presbytero major potestas, & jurisdictio competit, de jure communi aliàs non concessa.

## TITULUS XXV. De Officio Primicerii.

### SUMMARIA.

1. Nominis ratio. 2. 3. Primicerii munus & officium.

**P**rimicerius quoque Archi-Diacono subest, & Archi-Presbytero absente in cantu & choro succedit.

§. I.

1. *Primicerius* ab eo dictus est, quòd vel fuerit primus in cœra, in qua Psallentes in choro fuerant descripti; vel quòd ordinariè debuerit esse primus in choro, aut cantu, unde etiam Cantor, seu Præceptor nuncupatur in *c. 1. §. Cantor. dist. 21. & c. 6. de Consuet.*

§. II.

2. *Officium Primicerii* erat ordinare ea, quæ ad cantum spectant, aut referuntur. Item Clericos in choro delinquentes corrigere, & puni-

re, ut habetur in *c. 1. §. ad Primicerium dist. 25.* ob quam animadversionem, seu aliqualem jurisdictionem in delinquentes dicebatur habere personatum, imò & dignitatem. *c. 8. de Constit.* Consequenter & præcedentiam aliquam, seu præminentiam respectu aliorum Clericorum habere debuit, sicut communiter colligunt DD. & ipsiusmet nominis ratio insinuare videtur. Azor. *Instit. moral. p. 2. L. 3. c. 16. q. 3.*

Præterea in *c. un. h. t. ad Officium Primicerii* pertinere traditur, Diaconis, & reliquis Clericis in docendo præesse, instruendo nimirum illos in modo cantandi, in latina lingua, & aliis disciplinis, præcipuè ad Divinum officium honestè peragendum necessariis. Hinc de Jure antiquo Primicerius etiam magister Scholarum, & Scholasticus appellatus est. De Jure verò Trident. *sess. 23. de Reform. c. 18.* Scholasticæ cura in Cathedralibus præsertim Ecclesiis committi jubetur non nisi Graduato, vel aliàs ad instruendum idoneo, sive deinde talis fungatur simul officio Primicerii, sive non, ut ita officia Scholastici & Primicerii juxta Trident. non videantur necessariò esse connexa, sed diversis committi valeant.

Hodie in plerisque Ecclesiis Cathedralibus titulus quidem & præbenda Scholastici retinetur ab aliquo Canonicorum, officium tamen vix alicubi propriè exercetur propter multitudinem Universitatum, & Gymnasiorum, in quibus multò facilius scientiæ & liberales artes addiscuntur. Similiter ea, quæ ad Primicerium de jure spectant, passim per vicarios etiam laicos, & Ecclesiarum famulos expediuntur.

## TITULUS XXVI. De Officio Sacristæ.

### SUMMARIA.

1. Sacrista quis? 2. Ejus Officium.

Nunc